

turum nocte ad iudicium, ut perdat Ægyptios, id est, reprobos, ex hac figurâ, et ex Matth. 23, 6, docent S. Chrysost., Theophyl., Hieron. ibidem, qui addit hanc esse apostolicam traditionem. Alii tamen Christum putant venturum manere; sed de hac re alibi dicendum est.

EGREDIAR IN ÆGYPTUM. Non locum mutans, sed actionem: quos enim hactenus in vivis servavi, perdam et occidam; qui ergo ut ultor ab Ægypto abfui, jam ut victor ingrediar, eosque visitabo vindictâ meâ. Licet enim inter eos plerique parvuli innocentes sint, nocentium tamen sunt filii, idèque quasi pars aliqua sunt patrum noxiorum et rebellium, quos filiorum morte plectere decevi. Deus enim est sentium et insonitium, vitæ et mortis dominus, ut insonitibus non injustè vitam adimat, ut dominus; sentibus verò iustissimè etiam eripiat, ut vindex malorum.

VERS. 5. — ET MORIETUR OMNE PRIMOGENITUM A PRIMOGENITO PHARAONIS QUI SEDET IN SOLIO EJUS. Qui simul cum patre regnat; vel, post patrem in solio sessorus et regnaturus est.

USQUE AD PRIMOGENITUM ANCILLÆ QUÆ EST AD MOLAN. Quæ molas, puta trusatiles, versat in pistrino, quasi dicat: Clades hæc in omnes, et à nobilissimo usque ad vilissimum pervadet. Justè cæde primogenitorum puniuntur qui Hebræos primogenitum Dei populum oppresserant, et proles eorum masculas interemerant, ait Theodor.

VERS. 6. — ERITQUE CLANOR MAGNUS. Generalis enim necè plaga omnes tetigit: nam, cum postea mersus est Pharaon cum suis, plaga illa non omnes tangebat domos, sed tantum militum Pharaonis: neque valdè Pharaonem sublatum doluerunt Ægyptii, utpote cujus culpâ tantas incurrerant clades et calamitates.

VERS. 7. — APUD OMNES AUTEM FILIOS ISRAEL NON MUTIET CANIS AB HOMINE USQUE AD PECUS. Est proverbium hebræum, q. d.: Nemo hominum, nullum pecus mutiet aut mugiet, ne canis quidem, qui minimo strepitu allatrat, sed apud omnes erit summa pax.

Verum quia èd ab homine in Hebræo habet articulum dativi, et quia non rectè canis numeratur inter homines; hinc secundò et genuinè cum Chaldaeo et Yatablo sic explices: neque hominibus, neque jumentis filiorum Israel allatrat ulla canis: quia apud eos nulla erit plaga mortis, ac consequenter nullus luctus et planctus in quo præ aliis bestis ejulare et latrare solent canes, sed summa erit apud eos quies.

VERS. 8. — DESCENDENTQUE SERVI TUI. Inò et tu, ó Pharaon, quod tamen suo deferens honori subiceo, ut patet c. 12, v. 51.

Decima hæc fuit plaga, nimirum cædes primogenitorum tam hominum quam jumentorum omnium, inflicta c. seq. v. 29, fuitque acerbissima. Primò, quia primogeniti summè chari et pretiosi sunt parentibus, præsertim quia inter hos primogenitos multi erant unigeniti unicique parentum hæredes. Secundò, quia singulæ familiæ hæc plaga afflicte luxerunt. Tertio, quia et Pharaon hæc plaga primogenitum suum perdidit. Quarto, quia mediâ nocte hæc cædes contigit, unde hæc plaga permovit Pharaonem, ut absolutè Hebræos

dimitteret, qui eadem ipsâ nocte sua convasantes egressi sunt. Quintò, simul cum hæc plaga Apis aliiq. dii Ægyptiorum eversi sunt, ut patet c. 12, v. 12.

Quæres an hæc cædes facta sit per angelum bonum aut per malum. Per malum eam factam esse putant Lyranus et Abul.; probant ex c. 12, v. 23, ubi dicitur: *Non sinet* (Dominus) *percussorem ingredi domos vestras, et ledere*: hic ergo percussor fuit malus; voluit enim ledere Hebræos qui erant populus Dei (quod angelus bonus non fecisset); sed Deus id non permisit.

Verum Pererius et alii probabilius censent eam factam esse per angelum bonum: per hunc enim reliquæ plagæ inflicte sunt, ut dixi c. 7 sub finem quest. 4. Ad argumentum respondeo, pro, *non sinet*, hebraicè est, *non dabit*, q. d.: Deus hæc omnia ordinas et præscribens angelo jubebit illi ut Ægyptios feriat, vestras autem domos, ó Hebræi, pertranseat: itaque non dabit illi potestatem vos ledendi; unde non sequitur angelum hunc voluisse ledere Hebræos, sed tantum eum non acce,isse à Deo ordinationem illos ledendi. Ita Cajet. Adde inter Hebræos fuisse aliquos impuræ et improbæ vitæ, quos angelus juste ferire potuisset et voluisset, si Deus permisisset.

Nota, non unum, sed plures fuisse angelos, qui hæc eadem peregerunt, ut patet Psalm. 77, v. 49; hæc enim cædes eodem instanti facta est undique in singulis urbibus et pagis per totam Ægyptum: idem angelus non poterat eodem instanti esse in tot locis, ibique tantam stragem tam discretè operari: scis fuit in exercitu Sennacherib, in quo, utpote conjuncto, unus angelus, unâ nocte occidit 185 milia, 4 Reg. 19. Unde Pererius probabiliter putat in quilibet civitate fuisse unum angelum qui occiderit primogenita Ægyptiorum.

Quæres secundò, qui intelligantur hic primogeniti? Respondeo: Omnes illi qui primò nati erant ex suis parentibus, sive haberent filios, sive non, et sive viverent eorum parentes, sive non: quare omnes patres-familiâs qui erant primogeniti, hic cæsi sunt, rursum eorum parentes, quin et filii, si erant primogeniti. Unde, quia Pharaon hic non fuit casus, hinc liquet eum non fuisse primogenitum, sed primogenito mortuo, vel præterito in regnum successisse. Addit Abulens. primogenitos hic intelligi tam feminas quam mares, idque sive primogeniti essent respectu utriusque parentis, sive unius tantum. Quo posito, fieri poterat ut in unâ domo plures essent primogeniti, verbi gratiâ, ut paterfamiliâs esset primogenitus parentibus suis, et uxor primogenita esset suis, et utriusque filius primogenitus: et, si pater ille plures haberet uxores, atque ex singulis liberos, respectu cujuslibet uxoris erat unus primogenitus, ita ut in unâ familiâ quinque et plures subinde essent primogeniti, quos omnes in hæc plagâ casos esse censet Abul., atque ita faciliè fieri potuit id quod ait Script. c. 12, 50: *Neque enim erat domus in quâ non jaceret mortuus*. Deus tamen pro hisce primogenitis Hebræorum hic servatis, solos eorum mares primogenitos sibi offerri deposcivit, cap. 13, v. 12.

Audi de hæc cæde Sapientem c. 18: *Cum quietam, inquit, silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de caelo à regalibus sedibus, durus debellator in medium exterminii terram prosilivit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad caelum attingebat stans in terra. Hinc videtur quòd angelus non peste, sed gladio occiderit hæc primogenita. Verum gladius in Script. omne instrumentum, omnia arma, omne genus mortis significat, ut alibi dixi: nec angelus indiget gladio; facilimè enim frangendo cor, aut collidendo partes vitales, aut suffocando aliisque similibus modis se solo potest homines occidere, perinde ut nos pulices digito comprimimus et occidimus.*

Tropol. S. August. in lib. de Convenientiâ decem præcept. cum 10 plagis Ægypti: Qui peccant, ait, contra decimum præceptum: *Non concupisces*, per fraudes, rapinas aliasque injustitias, hi puniuntur morte primogenitorum, quia non relinquunt hæredes honorum malè partorum, ac non raro eorum filii et hæredes, etiam primogeniti, emoriuntur; nam malè parta, malè dilabuntur, et:

De malè quasitis non gaudet tertius hæres.

Secundò, primogenita Ægyptiorum sunt diabolus et angeli ejus quos Christus adventu suo perdidit. Rursum sunt hæresiarchæ, et inventores falsarum religionum, quæ Christi veritas cum suis extinguit auctori-bus. Ita Orig. et S. August. serm. 87 de Tempore.

Tertio, Pererius, Ægyptii, inquit, sunt hostes fidelium, puta diabolus et mundus. Diaboli primogenita sunt peccatum, maxime originale, ait Rupertus, et mors. Primus enim parens peccati fuit Lucifer et serpens in paradiso, ejusque invidiâ mors introivit in orbem terrarum. Hæc occidit Christus, cum mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. Mundi primogenita sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vite: hæc occidit Christi gratia per munditiam carnis et cordis, paupertatem spiritus ac humilitatem mentis. Nonne mundi primogenita sunt divitiæ, honores, voluptates, inanis gloria? hæc percussit Christus concubiâ nocte nascento. Divitias enim admirabili paupertate præcepit, honores inauditâ humilitate tenebrarum, voluptates ipsius stabulî asperitate contrivit. Unde jam paupertas divitiarum nonen sibi vindicat, divitiæ, inopiam appellantur; ignominia, Indubria et opprobria, quæ Christi causâ tolerantur, honores dicuntur; crux, gloria; mors, vita; carcer libertas nominatur.

VERS. 9. — ET EXIIT A PHARAONE FRATUS NIMIS. Tante tergiversationi, pervaciæ et rebellionis Pharaonis.

DIXIT AUTEM DOMINUS AD MOYSEN. Est epilogus et summa præcedentium capitum, q. d.: Dixit autem Dominus ad Moysen, puta ante plagas Ægyptiis immisissas, c. 5, 19.

VERS. 10. — NEC DIMISIT FILIOS ISRAEL. Hucusque scilicet, usque ad decimam plagam: nam in decimâ eos dimittit, uti videbimus cap. seq. v. 30.

IN EXODUM Dissertatio.

Liber, quem græcâ voce Exodum, egressum scilicet, appellamus, ex historiâ exitûs Israelitarum ab Ægypto, nomen obtinuit. Apud Hebræos *Veelle Schemoth* inscribitur; quòd scilicet voces ille primæ in hebraeo libri textu legantur historiam complectitur 145 annorum, quòd scilicet ab obitu Joseph ad erectionem usque tabernaculi ad radices Sinai decurrerunt. In ipso historice limine, Moyses motus in Israelitas à regibus Ægypti persecutionis causas et occasionem edisserit (cap. 1); dein lata in gentem edicta, maribus eorum à partu extinguendis (quanquam obstetricum pietas impiis Ægyptiorum conatibus intercesserit) persequitur. Post hæc omnia, nuptiæ Jacobed cum Amram sequuntur, quibus parentibus ortus Moyses in amnis ripâ expositus, et à filiâ Pharaonis inventus, matrem suam habuit nutricem. Ab eâ in spem regie domus educatus, relicta tandem aula, atque spe omni principatûs abjectâ, ad fratres suos invisendos, injuriæque ab illis depellendas se contulit; quare de vitâ periclitatus, præsentissimum declinaturus periculum,

in Arabiam secessit. Ibi in domo Jethronis manens, filiam ipsius sibi despondit. Cum autem pascendis ovibus socii sui occuparetur (capit. 5, 4), à Deo per visionem sollicitatus, ad relevandum à populo suo Ægyptiacæ tyrannidis jugum, divini nominis cognitione, atque patrandorum miraculorum virtute auctus missus est. Secedens igitur Moyses, Sephoram uxorem suam, duosque filios secum adducebat; quos tamen deinde angelus in necem Eliezer irruentis visione territus, ad socerum remisit. Occurreret venienti Aaron, et cum ambo fratres ad montem Sinai venissent, legatione pro se fingi iterum à Deo jussit. In Ægyptum igitur sese contulerunt (capit. 5, 6), ibique expositâ Israelitis Dei voluntate, dein coram Pharaone se sistentes, dimissionem pro populo requisierunt. Rex detrectare primùm, deinde et populum novis oneribus opprimere, Moyses vicissim iterum in aulam, atque divinæ virtutis, ejus nomine dimissionem Hebræorum petebat, potentiam ostensurus, statim projectam virgam in anguem transmetavit (capit. 7). Ve-

rām prodigium non absimili prestigio Ægyptiorum magis eludentibus factum est, ut pervicax regis animus Hebræorum petitionibus non acquiesceret. Ad plagas igitur ventum est, novarumque novis accessione nihil tamen à rege potuit impetrari. Ita aque Nilī in sanguinem transmutata sunt; ranis primum, deinde museis parvis, atque vulgaribus tota latè regio ebullit, ut homines, et iumenta omnia ac pennes desolarentur (capit. 8). Tot malis urentia ulcera in pectibus, et iumentis successerunt (capit. 9); sata omnia ruens grandio depasta est; undique verò discurrentia fulmina, atque reboantia tonitrua terrorem inferebant. Sub hæc, locustis infesta omnia (capit. 10), densisque tenebris horrida. Nihil tamen de pristina obstinatione recedente regis animo, divinæ ultionis gladius tandem in necem omnium primogenitorum Ægypti discurrir; cum interim apud Hebræos, atque in terrâ Gessen, ubi populi sedes, salva essent omnia.

Ante hæc omnia, segregare sibi agnum, ut quâ nocte secessio faciendâ erat, cibis suppeteret populo, Moyses jussit. Quibus autem caeremoniis victimâ immolanda atque in cibum adhibenda esset omnibus deinde succedentibus generationibus, cap. 12, persequitur. Post illam ab Angelo Dei in omnes Ægyptiorum primogenitos necem, divinâ jussione sacros Domino offerre omnes primogenitos, tam hominum, quam brutorum, Hebræis injunctum est (capit. 13). Post hæc discessio factâ ab Ægypto, populus Ramses primum, deinde Soccho, ac tandem Elham venerunt. Exinde iter prosequentibus ignea columna noctis tenebras suâ luce depellens, solis verò calorem umbrâ suâ temperans, viam monstravit.

Sub hæc, Pharaō indulgentiæ suæ in populum penitens, tumultuario exercitu coacto, abentium viam insistens, castrametans in Beelsephon ad mare Rubrum assecutus est (capit. 14). Actum fuisset de populo, nisi Moyses, elatâ virgâ prodigiôsâ, in medio pelagi sinu viam Israelitis fugientibus in aversam ripam aperisset. Ægypti statim abeuntis urgere, audacter et ipsi patentem in mari viam ingredi; vix tamen ingressos, recurrentes unde, omnes, ne uno quidem excepto, absorberunt.

Moyes è presentissimo periculo liberatus, solemnem gratiarum actiones, novo adornato cantico, Domino persolvit (capit. 15). Post emensum tridui itinere desertum Sur, populo in Marâ castrametanti, amaricantes loci aquas Moyses miraculo potabiles exhibuit. Hinc motis castris, Elin primum, deinde in desertum Sine ventum est (capit. 16); qui sanè locus et mannae plentis, et coturnicum in escam populi volitantium prodigio celebratur. Altera statio ad Raphidim succedit (capit. 17), ubi Moyses aquas è silice eduxit, atque insignem de Amalecitis victoriam Josue reportavit. De adventu Jethro in castra Israelitarum, atque præscriptâ ab illo politæ disciplinâ historiam legimus in cap. 18, quanquam scribis contigisse, post erectum scilicet tabernaculum, facillè intelligimus. Succedens tandem ad Sinai populus, in spem ineundi cum Domino fœderis, ipso Domino invitante, erectus (capit.

19), post tridui expectationem, insedentem montis vertici Dei majestatem spectavit. Quare Moyses, consensu monte, Decalogum, nempe totius legis summam, ipso Deo tradente, accepit (capit. 20). Alia etiam nonnulla, quæ cap. 21, et 22, et 23, referuntur, eâ occasione præcepta sunt; quæ Moyses ad populum deinde referens, ineundi fœderis, immolatarum in eam rem victimarum sanguine, auctor fuit. His peractis iterum Moyses ad Deum, à quo totius tabernaculi mox fabricandi ideam, quasi latè cap. 25, et 26, et 27, et 28, et 29, et 30, et 31, describitur, accepit. Cùm tamen vir sanctus longiorem in Sinai moram traheret (capit. 32), populus ejus rei fastidio, tandem in idololatriam, aureo vitulo erecto, prolapsus est.

Quod cùm Moyses, relicto tandem monte, intellexisset, rei dolore tabulas lapideas, quas deferabat, in terram allisit, statimque ad vitulum convolans, deiecit comminuitque; in prævaricatores verò stricto gladio, adjurantibus inter Levitas qui in fide permanserant, impium scelus 25,000 reorum sanguine expiavit. Succedens deinde in montem, veniam, pristinamque in Hebræos Dei providentiam (cap. 33) impetrat. Jus suum verò novas parare lapideas tabulas, atque solitari iterum ascendere montem, omnibus actuum executioni mandatis, post divinum 40 dierum allocationum, tandem novas legis tabulas ad populum contulit. Sed cùm novâ coruscans luce intuentium oculos præstringeret, haud alacri animo occurrentem populum adoratione primum confirmat, dein ad usum tabernaculi spontaneam oblationem offerant singulos horitur (cap. 35). Duos interea opifices *Salel* et *Hoobab* peritissimos, novâ divinitus sapientiâ instructos Deus operi moliendo pares comparaverat (cap. 36, 39), quibus usus Moyses perfectum tandem tabernaculum primâ die primi mensis anno ab egressu Ægypti secundo (cap. 40) erexit. Hæc historie hujus libri summa.

Quod in hoc opere lectores intentos potissimum destinet, fœdus est à Deo cum Israelitis initum, et politiæ genus in republicâ Hebræorum constitutum. Sapientissimis legibus sancitis, tota reipublice, et religionis administratio directa est. Deus legislatoris sibi, patroni, regis, patris, Dei tandem Hebræorum munus vindicat; vix autem in regem agnitus, atque fœderis instrumentum solemnem ceremoniâ firmatum est, statim Deus dignitatem hanc suam exerens, toto majestatis apparatu edicta rogat, atque exemplo regum orientalium insigne sibi tabernaculum in medio populi constituit. Ibi numeroso, regioque satellitibus stipatus, è penetrabilibus tabernaculi commissâ Moysi famulo suo jussa populo edici præcipit. Nec alibi oracula de futuris eventibus rebusque occultis reddebantur, quam è mediâ veluti ejus loci caligine, quæ Numen occultans, majestatem et terrorem angebat. Hanc Numinis tremendam majestatem in medio castrorum Israelis Balaam respiciens, ait (Num. 25, 21): *Non est augurium in Jacob, nec divinitus in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriae regis cum illo.*

Ea verò constituta est à Deo populo regendo politia, ut à Deo ejusque jussionibus omnia penderent. Ille

bellum indicit: ille castra metari jubet in deserto; movendoque jussu clangentis buccinæ imperat. Hebræorum reipublice, quam scriptor quidam jure *Theocraticam* sive divinam politiam appellavit (Joseph. l. 2. contr. Appion.), Hebræorum, inquam, reipublice subjecti omnes tribus per annum vicibus coram rege Deoque suo sistere jubebantur, ut scilicet sponte se illi subjectos, munere oblatione (vacuum enim coram Deo apparere nefas) profiterentur. Omnes primores nata tam hominum, quam brutorum, sicut et primitiæ, ac decimæ non fructuum tantum atque messium, sed et decimæ pariter temporis, indicitis in eam rem festis solemnibusque diebus, de jure regis Deique censebantur. Quod scilicet exemplo regum orientalium, paria in suâ ditone exigentium, sancitum est (Reg. 15, 16); annonas enim et necessaria omnia usibus domesticis atque exercitiis, subjecti quilibet populi suis singuli regibus sufficiebant. Ita pariter Deus omnia hæc deferri jussit ad templum, ut in usum altaris, sacerdotum, et levitarum, quibus tanquam domesticis et alicis utebatur, impenderent. Scitè quidem observat Philo, sacerdotis in lege regibus et principibus comparari, si honor illis præscriptus spectetur: deferri enim ad illos sancit ab universâ gente tributa, decimas nempe, et primitias tam fructuum omnium, quam gregum. Studio autem atque voluntati, quâ populus singula conferebat, nihil erat reliquum; cùm oblationes illas inter solemnem gratiarum actiones, faustasque acclamationes ita offerret, ut quæ ministri Dei ab illis acciperent, ipsi recipere sibi viderentur.

Commissa in legem crimina præ tabernaculi foribus victimarum mactatione expiantantur; quo scilicet cruoris indicio reos se capitalis criminis atque subeunde mortis Deo, vitæ auctori, profitebantur (vide Euseb. Demonstrat. lib. 1, cap. 10; Theodoret. quæst. 61 in Exod.). Mactatas eâ occasione victimas vel degustare quidem nefas, sed partim altaris igne consumptæ, partim in esum sacerdoti sacrificium offerenti cedebant; quasi scilicet reos indignum se, qui de mensâ Dei sui participaret, agnosceret. In sacrificiis pacificis et eucharisticis hostiæ portio coram Domino degustanda, sacrificium procuranti cedebat; altera verò portio sacerdotibus reservabatur, ut nempe signum esset Dei cum populo fœderis, pro recepto apud populos varios more, ut scilicet post inita fœdera uni simul omnes mense, pacis, et conjunctionis argumentum, assiderent. Ita Isaac cum Abimeleco (Genes. 26, 28), Jacob cum Laban (Gen. 32, 46), Josue cum Gabaoniis (Josue 9, 14) cibos degustarunt; sicut vicissim, morem illum spectans S. Paulus, ab idololâs fideles abstinere præcepit (1 Cor. 10, 20).

Summum sacerdotem in domo suâ principem Dominum constituit, cui in Sanctuarium aditus uni patebat; nonnisi tamen solemnibus adhibitis caeremoniis, aliisque observatis religionibus, quibus obsequium et religio loco sancto conciliaretur. Solemnes hujus ministris vestes, à Domino præscriptæ, tantæ dignitatis argumentum sunt et emblemata. Super humeros et pectus nomina 12 tribuum Israel insculpta deferabatur;

quippe quod cura omnis, et administratio populi ad sacerdotem pertinere; agendumque illi esset cum Deo de universi populi rebus; à quo vulgaris populus majestatis timore absterrebatur. Laminam auream fronti impositam gestabat, in qua insculpti literis legebatur: *Sanctum Domino*, quod scilicet, ait Moyses (Exod. 28, 36, 38), commissa à populo in sanctitatem loci, in oblationibus et sacrificiis crimina expiare ad sacerdotem pertineat. In rebus arduis summum sacerdotem consulendum Dominus edicit, jussum proinde in Rationali *Urim*, et *Tummim*, nempe doctrinam, et veritatem, seu, ut illa Moyses appellat, *judicium filiorum Israel* (Exod. 28, 30) gestare, quod est supremi populi Dei Judicis insigne. Porro ex Urim virtus reddendi oraculi petebatur, ita disponente Deo, ut in judicis summi sacerdotis sententias pronuntians pondus oraculi agnosceretur. Deformes viros à sacerdotio absterret (Levit. 21, 17, 18); quare vitio aliquo corporis infirmos, sive contemptibiles homunciones rejicit. Parem etiam apud reges Persarum consuetudinem obtinuisse in historia Danielis legimus (Dan. 1, 4).

Subjectis sibi populis imperio despoticum uti, atque unicè in illos regnare principum est. Deus itaque, populi sui libertati studens, alienis perpetuo mancipio servire neminem patitur (Exod. 21, et Levit. 25); quare mancipia omnia hebræa Sabbatice sive Jubilei anno manumitti præcipit; avitas hereditates distrabere vetat, quippe qui nec vitæ suæ, nec honorem, quorum usum tantum à Deo haberent, domini essent. Operum et quietis tempus dirigens Deus, anni ineuntis atque mensis exordium, quo scilicet ad datum ejus penderent omnia, determinat. Sacerdotes et Levitæ, veluti domus Dei servitibus addicti, peculiares deferre vestes jussi sunt; de mensâ Domini participant, de vicinis scilicet, quorum tantum adepti, et sanguis Domino libantur, et de pane in altari ipsius apposito. Ita legimus in historiis apud reges Persarum obtinuisse, ut omnia quæ ministris deinde regie domus distribuerentur, mense prius regie imposita essent; nemo enim, qui regi serviret, nisi de cibo regi apposito alebatur (Athen. l. 6, c. 14). Peculiares erant pariter mensa genæ regis, dapibus alique necessariis, instar regie mense, instructa. Ita et Deus in paratâ sibi mensâ panes propositionis perpetuo apponi, vino adjecto, præcepit; quemadmodum et holocausta matutina, et vespertina, quotidie in limine tabernaculi offerenda.

Quò autem altam de sanctitate suâ, rerumque sacram religionis Hebræis inderet existimationem; vel ipsas, quæ invitit obrepserant, maculas stans sacrificiis et precibus eluendas præscribit. His verò legalibus maculis si quis pollueretur, continuo à sacris tractandis arcebat, atque si quis prudens tabernaculi religionem legali aliquâ macula violasset, huic capitali supplicio erimen eluendum erat. Populus universus eâ disciplinâ in castris tabernaculo circumfusos detinebatur, quasi scilicet in aula sui principis, vel sub ipsius regis oculis positus esset. Nec sanè ejus disciplinæ oculis assignat causam Deus, quam quod ipsius Dei oculis subjicerentur: *Sancit estote*, ait, (Levit. 11, 45,

41, et 15, 31), *quia ego sanctus sum; nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. Docetibus filios Israel, ait Deus ad Moysen, ut caveant inundationem, et non moriantur in sordibus suis cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos.* Jubet etiam, singulis annis, die solemnissimam expiationis explari *Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel* (Levit. 16, 16). Hæc itaque plurium legalium ceremoniarum unica ratio occurrit, quarum aliquoquin plurimæ futiles essent, et vana, nisi grandioribus hisce divinis ideis servirent. Quod enim aliud tanto rerum terrore, et apparatu insinuavit legislator, quàm ut per externas significationes intimam pure mentis sanctitatem magis magisque commendaret?

Illud etiam animadversione dignum est, eundem, qui legem ad populum tulit, Dominum, æquè se Deum ac regem exhibuisse. Cùm enim absolutissimas et æquissimas morales leges statueret; cùm legis naturalis præcepta evolveret, atque mortalium in Deum officia explicaret omnia; cùm latentium criminum ultionem in se reciperet; cùm impunè apud homines peccantes sibi pœnas daturus profiteretur, quid nisi divinam exerit auctoritatem? Regià verò potestate politiam universam dirigit, leges ad reipublicæ administrationem aptas ita præscribit, ut ne minima quidem, ad subditorum captum et imbecillitatem sese accommodans, negligat. Cave tamen eas leges nihil ad perfectionem reliqui habuisse credas; non enim omnem quæ Deum decebat, perfectionem, sed omnem pro imbecilli populo discretionem præ se ferunt. Plura sanè tanquam princeps et rex Hebræorum tolerat, quæ Deus et iudex reprobatur atque condemnat; uti usuras in alienigenas, polygamiam, divortium, quæ scilicet omnia naturali lege interduntur. Nonnunquam etiam pro datâ occasione, prava quædam insinuasse videtur, uti cùm Hebræos commodatò sibi Ægyptiorum res poscere, easque abducere præcipit. Quâ tamen in re, juxta ac vir summus observat (1), jus Dei, mortalium omnium regis, quod aliquando jus per homines exercet, à jure hominum inter se distinguamus oportet. Quare, si populus, proprio usus jure, Ægyptiorum res subripisset, meritò quidem violatæ justitiæ reus haberetur; ab omni autem crimine jure est absolvendus, quòd scilicet nonnisi Dei præcipitis jussa executioni mandaret. Deo enim præcipiente, furti crimen nullum est. Paria de præcepto divino in Chananæorum exterminio philosophari licet; quanquam enim nullâ ab iis gentibus acceptâ injuriâ Hebræi in bellum provocarentur, Deus tamen pro suo in orbem universum jure illos ad Chananæorum exterminium, quorum staterat exitium, ultionis suæ illos ministros armavit.

Interdum majestatem suam Deus ad leges quasdam demittit, quæ seorsim spectatas, vix dignas, ut unum corpus cum cæteris Dei legibus constituant, judicare-

(1) Grot. Proleg. lib. de Jure belli et pac. : *Distinguamus accuratè jus Dei, quòd Deus per homines aliquando excipitur, et jus hominum inter se.* Item lib. 1, cap. 1 : *Si Deus res aliquas auferri præcipiat, non licitum fiet furium, quæ vox vitium involvit; sed non erit furium, quòd rerum supremo Domino auctore fit.*

4048
mus; eas tamen, si unâ cum cæteris conjunctas inspicimus, integrum quoddam et constans juris systema constitunt, præ cæteris eò usque ab hominibus latè absolutissimum. Plures etiam ex iis legibus alio quàm litterali atque obvio sensu explicandæ sunt, cùm abditam atque allegoricam significationem sub eo verborum involvero legislator occultaverit, quòd vitiâ quadam cautius redarguerentur, atque vetarentur. In hunc sensum muliebri indumentum viris, et vicissim virile feminæ interdicuntur; velutum etiam agrum serere diverso semine, atque contextam lino lanæque simul vestem gestare, etc. Paria in præceptis quibusdam tradendis observasse philosophos quosdam, ambagibus aliquando quæ mysteriis sententiis suas obvolventes, scimus.

Quòd autem latas à Deo leges, et legislatores ipsam cæteris præferat, illud est, nimirum legislatores cæteros politiam tantum, atque reipublicam spectasse; de religione nihil curantes, nisi si quid paci, atque felicitati reipublice conferre animadvertissent. Accidit etiam non rarò, ut populus in rebus omnibus religionis rudes omnino reliquerint, evellere avitos de naturâ divinâ ejusque cultu errores, consultò negligentes: quasi scilicet error et superstitio continentis in fidem populis, quàm veri Dei cognitio et veritatum ipsius exercitium, plus contulissent. Plato Dei occultâ mysteria populo detegere è re esse non censuit (quòd Joseph. Antiq.). Oppositâ planè ratione lata à Deo leges nihil habent antiquius, quàm ut de religione decernant, cætera habent accessoria; in unum Deum omnia referunt. In eo populi totiusque reipublice felicitas, in eo universi regni robur constituitur, si ea, quæ ad veram religionem pertinent, salva sint omnia.

Alterum, in quo planè legislatores profani et Hebraici dissentiant, illud est, nimirum legislatores humanos leges tradidisse, quibus ad perfectionem reliqui essent plurimum, ut proinde ab implendo legislatoris nomine plurimum adfuissent. Moyses verò, sive Deus Moysi ministerio, omnes legislatoris numeros explet; quippe qui absolutissimum legum corpus tradiderit.

Docendi morum scientiam atque præseribendam disciplinam regularum duplex est ratio; per præcepta scilicet, et per exercitationem, cùm ad normam traditæ legis subditi exercentur. Alterutrum ex his docendi genus cæteris legislatores se elegerunt; nemo utrumque junxit, ait Josephus (contr. Apion. lib. 2). Lacedæmones et Cretenses moralem doctrinam exercitatione docentes, præcepta negligebant; Athenienses et Græci omnia ad præcepta, nihil ad exercitationem deferebant. Moyses utrumque junxit; legibus namque et præceptis ita mores direxit, ut generales leges ad singulorum etiam mores attemperarit, quæ cuique peculiaris essent, nullâ re eorum arbitrio relicta, decernens. Sux de ciborum qualitate leges; suæ de quiete, et labore, suæ tandem de omnibus, ut maternâ quâdam charitate de minimis quibusque filiorum, et domesticorum indigentis lex providisse videtur. Ne quis autem ignorantiam causetur, ceutum est, ut singulis septi-

manis unâ saltem die ad studium legis, et ad ejus lectionem in cæteris religiosis auscultandam se conferant. Factum inde, ait idem scriptor, ut alta illa de legibus, officisque suis oblitio, quæ universas latè gentes tenet, nulla sit apud Judæos; una apud illos, et constans de divinitate sententia, quâ in re cæteræ inter se gentes committuntur. Hinc etiam constans illa morum observantia, de quâ nobis apud cæteros invidia creatur. Cùm enim latam à nobis Deo auctore legem teneri persuasum habeamus, ne lato quidem ungue ab eâ recedere patimur. Quid equidem melius, quid sanctius, quid æquius decerni potuisset? In eò tota religionis, legumque nostrarum ratio versatur, ut Deum agnoscat summè perfectum, beatissimum, omnia continentem, sibi sufficientem, qui principium sit, medium, omniumque rerum finis; honorum item fons, atque prodigiorum auctor. Is porrò Deus, quanquam aliqui in operibus suis non obscure agnitus, hominum tamen captum nimis excedit, quippe qui naturâ et majestate suâ inscrutabilis habeatur. Hujus autem imaginem nihil, quod sensibus subjiciatur, exprimere, nulla cogitantis idea exhibere valeat. Huic, cui nihil sanctitate et bonitate par, inherendum, commitendumque, ut virtutum exercitio oculis ipsis placeamus. Hæc purissima, hæc unicè vera religio. Cultus exterior, et sacrificia in lege præscripta, pura sunt omnia, nihilque cum selestis paganorum sacris habent commune. Vota Deo nuncupari non bonorum postulandorum necessitas jubet. Deus est enim naturâ magnificus, sed ne illis fortassè abutatur, votorum nuncupatione postulamus. Nihil est, quod ad legum Mosaicarum æquitatem desideremus in iis, quæ de nuptiis præscribit; sicut et de mutuis parentum cum liberis, conjugum, dominorum cum famulis, subditorum tum inter se, cùm etiam in principem officis; quæ planè omnia Deum legum auctorem demonstrant.

Quantò verò lex Mosaica profanis cæteris præest, tantò novè per Jesum Christum et Apostolos late concedit. Licet enim plura sint in utraqûe lege consona, neque altera alteri repugnare, sive cùm aliquid præcipiunt, sive cùm interdicit, convincantur; fateamur tamen oportet, Jesu Christi legem id perfectionis attingere, ut ei plurimum lex Mosaica concedat: quæ scilicet Moyses levi tantum brachio molitus fuerat, hæc Jesus numeris omnibus absolvit. Hinc plurima in lege permessa, in Evangelio prohibentur; plura etiam quæ sive Moyses excellere non valuit, sive Hebræorum doctores detortis legis verbis plantaverant, unâ Evangelii lege præcipientur; vana etiam nonnulla, melioribus substitutis, loco cedere jussa sunt. Sacerdotium, sacrificia et ceremoniæ legales abrogantur, quòd scilicet et augustissimum sacerdotium, et præstantiora sacramenta, et ceremoniæ sanctiores, et efficacissimæ sacrificii constituerentur. Figuras tandem, et umbras veritatis concessisse par erat. Mosaica lex, ad Jesum Christum veluti pedagogus deducens (Galat. 3, 23) in illo sisebat. Quicquid justum, bonum, perfectum in lege Mosaicâ sanctum est, illud in evangelicâ perfectitur atque explicatur; quicquid etiam mali, cha-

ritati et rationi repugnans per Moysen interdictum est, illud etiam per Jesum Christum gravius verbis, penis, strictioribus præcepto prohibetur; quicquid tandem in illâ mali, necessitatis obtentu, vel saltem quicquid nimis boni toleratur, in hæc planè succiditur. Quare nullum in lege Christi divortium, nulla polygamia, lex talionis, atque in alienigenas usura nulla. Frigidâ illa distinctio domestici, et alienigenæ exulare jubetur. Nec ultra Deus bonitatis atque misericordiæ suæ largitatem cæteris denegans, in unam tantum gentem atque regnum profundi; omnes æquè gentes eodem simul fodere eademque Ecclesiâ censetur. Idem amicitie, atque fraternæ charitatis vinculum mortales omnes colligat; quippe qui ad eandem omnes familiam sub uno patre, eodemque communi fratre Jesu Christo, cujus sanguine redempti sunt, cujus morte gratiæ et salutis capaces effecti sunt, pertineant.

Tantarum veritatum veluti semina jecerat olim Moyses; sed litteræ cortice obvoluta latebant. Lumina erant sub modio, et in obscuro quodam loco ardentis faces. Crassum quoddam velum super Mosaicis litteris oppansum, Israelitas carnales arechat, veluti litæra quodam mortua; proinde legem habebant Judæi, veluti lex imperfecta, importabile jugum, præcepta non bona, imbecilliora mandata, et frustranea, ideo tandem rejecta, quòd in criminum mortem prolapsis opem vitamque conferre non possent (1). Is Mosaicæ legis status, Jesum Christum respiciens, is etiam omnium Hebræos spectat; Hebræos, inquam, qui ad novum fœdus, neque cordis habitudine, neque fidei et spei vividioris affinitate pertineant.

In examen modo revocanda est agitata jam inter multos questio, an scilicet lex Judæorum ad Ægyptiarum imitationem expressa sit, seu potius Ægyptiorum ad Judaicam.

Fixum itaque ratumque habendum est, apud utriusque gentis populos, plures olim fuisse leges et ceremonias mutuâ affinitate conjunctissimas, nec defuerunt inter veteres, qui ex Hebræis Ægyptiisque unum eundemque populum conficerent: rati Hebræos origine, non secus ac moribus Ægyptios esse. Ita pagani Judaicam et Ægyptiam superstitionem nunquam non jungunt. Cùm superstitiones omnes externas Româ pellere visum est, eodem simul decreto Judæi atque Ægyptii obvolvuntur: *Ceremoniæ externas Ægyptios, Judaicosque ritus* (Sueton. in Tiber. c. 36). Tacitus pariter Annal. 2 : *Dei, sacris Ægyptiis, Judaicisque urbe pellendis.* Viri plures, antiquitatum Ægyptiacarum peritissimi, nihil magis affine in rebus spectasse se unquam professi sunt, quàm utriusque hujus populi disciplinam: *Tantum habent ad ritus, sacrificia, ceremonias, sacrasque disciplinas Ægyptiorum affinitatem*, ait Kircherus in Propyl. c. 2, ut vel Ægyptios

(1) Hebr. 7, 19 : *Nihil ad perfectum adducit lex.* Ezech. 20, 25 : *Deiis præcepta non bona, et iudicia in quibus non vivunt.* Hebr. 7, 18 : *Reprobata sicut præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem.*

Hebraisantes, vel Hebraeos Ægyptizantes fuisse dicas. Marshamus Can. Ægypt. sec. 9, et Spencerus de Leg. Hebr. ritual. aliam planè contrariam, et fortè etiam aliquantò exorbitantem à recto, tenentes viam, defenderunt, Judaicam ceremoniarum plerasque ex Ægyptiis esse repetendas.

Nemo planè dixerit, tantam inter infensas alioquin gentes affinitatem fortuito casu deberi; quanquam fateamur oportet, in eâ de moribus utriusque gentis disquisitione, hanc utriusque populi similitudinem pariter, et in legibus ceremoniarumque affinitatem, negotii plurimum facessere. Proficitur non semel Deus, deducturum se electum populum suum à moribus, et superstitionibus Ægyptiorum; sive imitatione (Levit. 18, 2, 5), sive commercio, et fœdere (Deut. 12, 30, 31) cum illis conjungi vetat; præcipit insuper, ut ea quibus Ægypti cultum impendunt, sibi immolent in sacrificium (Exod. 8, 26). Illis ergo consiliis suis repugnasset Deus, si paria invessisset inter Judæos, quæ jam apud Ægyptios servarentur.

Nec minor erat Ægyptiorum à Judæis aversio, in tantum ut ne mensâ quidem, Josephi Patriarchæ ætate, illos dignarentur (Gen. 43, 32); creveritque deinde in dies odium, ex quo potissimum Moyses Israelem, tanto Ægyptiorum dispendio, è captivitate reduxit. Infestos inter se utroque populos dissidere Josephus historicus lib. 1 cont. Appion. non diffidetur; nec ab eâ re abuldit Herodotus lib. 2, cap. 78, testatus, legibus suis Ægyptios ita inhære, ut alias aliarum gentium admittere non paterentur, quin et commercium illos cum exteris omnibus respuere, ne quid aliena superstitionis recipere cogantur, testatur Chærenum apud Porphyr. de Abst. lib. 4. Quis ergo fieri potuisse crediderit, ut religionis et superstitionis à se inventæ; itemque existimationis seu tenax ad eò populus, aliena facillè, et maxime hebraica, quæ nonnisi odio et contemptu prosequeretur admitteret?

Israelitarum verò erga alias gentes habitudo alia planè erat, ac Ægyptiorum; quanquam enim odio et contemptu ceteros aversarentur, suisque inhærent moribus; insità tamen voluntatis propensione in idolatriam et finitimarum sibi gentium superstitiones ferebantur. Nihil eâ re frequentius in S. Scripturâ, cujus libri, et maxime prophetici, crebras exhibent in idololatrias Judæos invectivas. Sed, quod mirum est, ipsos quoque imitantes Judæi, populos, incircumcisorum nomine per summum contemptum traducebant. Judæos tanquam insociabilem et à ceterorum commercii alienam gentem describunt historici. Hæc de illis Tacitus lib. 5 Hist.: *Moses, quò sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quæ nos sacra: rursùm concessa apud illos, quæ nobis incesta.... Hi ritus, quoquomodo inducti, antiquitate defenduntur. Hæc sententiarum consiliorumque repugnantia, ritus planè diversos repugnantesque, Baal pariter et veri Dei, in Hebræos invexit, coegitque invitos pariter et volentes, superstitionis communiuncione cum infensis alioqui, et despectis à se gentibus conjungi. Quibus ita se*

habentibus, ex Ægyptiis potius expressæ Judaicæ ceremoniæ reputari potuissent; quippe quæ, semel in populum invecta, cum excindi non possent, in sacros usus traducerentur.

Si quis tamen has inter utrumque populum affinitatem pariter et similitudinem aliâ planè ratione spectare voluerit, viam facillè inibit, ut repugnantes in speciem difficultates conciliet. Vera itaque scerantur à falsis, certa ab incertis, quæ jactabunda Ægyptiorum vanitas, sive stulta Græcorum credulitas in historias Ægyptiorum et Hebræorum invexit commenta ab his, quæ in historiâ sacrâ Deo auctore referuntur; statimque, versâ controversiæ facie, Judæos quidem pauca ab Ægyptiis, Ægyptios verò à Judæis plura didicisse intelligemus. Factum etiam deprehendemus non rarò, ut leges utrinque repugnantes de industriâ, et amulationis zelo rogarentur; quin et accidisse aliquando, ut moribus et sententiis fortuito casu conveniret. Quæ quidem omnia ut planius assequamur, utriusque gentis affines inter se leges pereurrentes sunt; simulque curandum, ut sedulo tempora et momenta omnia, quæ utriusque reipublice statum et politiam immutârunt, distinguantur.

Latæ à Moysæ leges omnes sive morales sunt, sive judiciales, sive ceremoniales. Moralibus sancendis unicè spectatum rationis dictamen, sicut et insità illa boni malique, et Dei, ac sui ipsius generalis notio. Populos autem inter se moribus et genio licet infestissimos, in communibus tamen erga Deum et proximum officiis convenisse, quis jure miretur?

Leges judiciales ex ratione derivatæ, ad reipublicæ politiam, atque universi populi felicitatem collimant. Quare nullo negotio fieri potuisse credimus, ut duo legislatores eundem sibi finem boni publici præstuentes, sive contraria inter se, sive affinia duabus dissitis gentibus pro variis condendarum legum circumstantiis, edixerint; quanquam alioqui, neque de similibus, neque de repugnantibus legibus præscribendis vel semel quidem cogitaverint. Sive igitur judiciales Hebræorum leges ad Ægyptias accesserint, sive longo recesserint intervallo; Moysen tamen ad illas sive imitandas, sive aversandas respexisse (nisi si quando contrariam planè sanctionem pravis quibusdam corruptisque Ægyptiorum moribus opponit) immeritò deducemus.

Ceremoniales denique leges circa religionem versantes, ita reputandæ sunt, quasi ex arbitrio et voluntate legislatoris unicè dependente, legislatoris, inquam, non temerè illas quidem, sed ad præcæritum generalem finem omnes dirigentis (1); singulas verò ita præscribentis, ut rationem cur hæc potius, quam illa præscripserit, nemini reddere teneatur.

Itaque si Moysen novæ constituendæ religionis consilio cæcus indixit, et solemnitates, si ceremonias item, et sacrificia sicut et sanctuarium ad cultum Domini præscripsit; si tandem sacerdotes statuit et

(1) Vide S. Thom. 1-2, qu. 102, à cap. 2 usque ad 3, et Rab. Maim. part. 5.

altare; sique in rebus omnibus cum cæteris legislatoribus paria molentibus, sine quibus homines in unum religionis corpus vix coirent, convenisse deprehendatur, quis, rogo, inter prodigia deputaverit. Ex quibus planè nemo jure deduxit, omnes illos legislatores, dum politiam quisque suam molirentur, alterum alterius imitationem affectasse; si qua tamen non in religione universâ constitutendâ, sed in singulis ceremoniis et ritibus peculiaribus affinitas et oppositio deprehendatur; alter tunc sanè de illis philosophandum, atque ita constituendum, ut de industriâ planè, non fortuito casu ita factum esse judicetur. Si affectata igitur quedam similitudo vel oppositio in Hebræorum et Ægyptiorum singulis ceremoniis apparcat, uti cum de sacrificiis agitur, de vestibus sacerdotum, de sexu, vellore, ætate, cæterisque victimarum conditionibus; sicut et de formâ ac structurâ altaris alisque ab unico legislatoris arbitrio dependentibus; hæc planè omnia datâ operâ atque consilio invecta censenda sunt. Cum enim legibus illis sola steterit pro ratione legislatoris voluntas, cur ille potius, quam alie sancite fuerint, non alia sanè ratio, quam in legislatoris voluntate querenda est. Si quid igitur ejusmodi aliquando occurrat, atque inter duas gentes varietas sive affinitas ceremoniarum observetur, id totum sive ex legislatoris, sive ex populi electione repetendum est. Tota modò difficultas vis in eo vertitur, ut ex his populis in his ceremoniis servandis jure vetustatis alteri præscripserit. Scitum ex Scripturâ (1), Judæos in Ægypto

ad idola declinasse, quam facem neque ab Ægypto secedentes, neque iter per desertum facientes abjecerant (Amos 5, 26; Ezech. 22). Porrò fictam hanc numinum religionem jam inde ante Israelitas in eâ provincia obtinuisse (Exod. 52), ubi omnibus succedentibus seculis regnavit, atque ab his superstitionibus populum suum Dominum removere voluisse (vide ad Gen. 45, 16) nullus dubito. Quæ cum ita sint, continuò fateamur oportet, ceremonias illas et ritus inter utroque populos diametris oppositas, non alio apud Israelitas consilio invectas fuisse, quam ut Ægyptiacis moribus adversarentur.

Quod ad ritus apud utramque gentem affines attinet, unâ Patres conveniunt (1) diabolo illos auctore, quem divinitus simiam appellat, in paganos ex Hebræis derivatos fuisse. Sed quo ab his Satanas sacras Dei ceremonias in Ægyptum invexit, quo insuper consilio Ægyptii infensæ sibi gentis mores adoptassent? Quid quòd Ægyptiorum religio vetustate hebræam superat? Nonne insuper Hebræi ante egressum ex Ægypto ad Ægyptias superstitiones declinaverant, quas etiam ab eâ provinciâ remoti nondum penitus abjecerunt? Hebræi itaque Ægyptiorum potius quam Ægyptii Hebræorum plagiarii accusantur. Excipiamus tamen ritus nonnullos oportet, quos Hebræi secum in Ægyptum invexerunt, ut circumcisionem, quam ex Hebræis in eas gentes derivatam infra demonstrabimus. (CALMET.)

(1) Tertull. de Præscr.: *A diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res divinarum Sacramentorum, in idolorum mysteriis emulatur.* Vide et S. Aug. Epist. 102, q. 3, num. 18, 20.

(1) Josue 24, 14: *Auferite deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamiâ et in Ægypto.*

DE ORIGINE ET ANTIQUITATE CIRCUMCISIONIS Dissertatio.

Circumcisionem avitum esse ritum, in suo solo natum, Ægyptii olim jactârunt. Herodotus, à sacerdotibus ejusdem gentis instructus, idem Græcis persuaserat: et Religionis christianæ osores, de opprobrio Judæorum invidiam in illam creare conati, hanc instaurârunt objectionem; circumcisionem nempe, non ita peculiarem Judæorum fuisse ritum, quin et apud Ægyptios prius obtineret; cessarent proinde prærogativam illam, tanquam selecti à Deo populi, sibi divinitus datam jacitare. Hæc Celsus in Christianos ingerbat (apud Orig. l. 1, et 5 contra Celsum); cui Origenes respondet, Judæis pariter, primos se circumcisionis auctores asserentibus, saltem æquum esse cum Ægyptiis jus, ut affirmantibus crederetur: Judæorum circumcisionem aliam planè esse ab Ægyptiorum et Ismaelitarum, tum illius instituendæ fine, tum lege instituente, tum etiam initiandorum eo ritu

mente spectatâ. Judæi enim unam tantum circumcisionem octavâ die probant; cætera tanquam vanas et superfluas abjiciunt. Preposterè igitur Celsus, ait, varias hæcæ ceremonias et ritus confundit. Demonstrat tandem iniquum esse relevatos per Jesum Christum et Apostolos à jugo legis, fideles invidiâ legis Judaicæ onerare. Julianus imperator tradit Abrahamum, eum è Chaldæâ in Ægyptum venisset, circumcisionis ritum ibidem didicisse, quem sanè Christiani, filios se gentinos Abrahami jactantes, recipere teneantur; cui S. Cyrillus, iis quæ de Abrahamo ab Apostolatâ dicebantur, ne refutatis quidem, respondet, cordis et spiritus circumcisionem unicam esse, quam Jesus Christus à fidelibus exigit; carnealem verò ad salutem supervacaneam prostris esse et inutilem (Cyril. l. 10 contra Jul.).

Cùm ad hoc usque temporis erudit quidam non

desint (Marsh. Can. Ægypt. sec. 5. Joan. Cleric. in Genes.), qui circumcisiōnem primò invectæ decus Abrahamo abjudicantes, ab Ægyptiis, si non omnibus, saltem sacerdotibus primitus usurpatam credant; idè laborandum nobis est, ut in omnes illius populus ex Judæis derivatam circumcisiōnem ostendamus; ea omnia quæ de vetustate hujus ritus apud Ægyptios, Æthiopes, et Colchos ab Herodoto alisque auctoribus feruntur, vana esse et inanità demonstrant.

Ægyptios antiquitatem suam atque rerum inventionem factitasse tam certum est quàm quid aliud. Hujus gloriæ adèo illos studiosos fuisse constat, ut ceteros populos prærogativis quibusdam, maximè in rebus Religiosis supra se offerri nullà ratione pateant. Cùm autem persuasum sibi haberent, deorum cultum, et Religionem ex Ægypto coepisse, omnium se cæremoniarum, et rituum auctores haberi volebant. Hinc nata cum Judæis vetus et perpetua similitudo; quam enim Judæi veram assertantque præ se ferebant antiquitatem, quemadmodum et solidam in cæremonis majestatem, puritatem Religionis, et morum, legumque inter utrasque gentes discrepantiam, in odii atque invidiæ fomitem Ægyptii convertebant.

Græcorum historici de vetustate populorum atque origine ritum acturi, frustrasè alibi, quàm in Ægypto vera scrutaturos reputarunt. Doctissimi enim in toto orbe Ægyptii habebantur, adèo ut eorum virtutis fama omnes fermè veteres scriptores à Græcià ad se acciverit; unde pariter Græci eas quas in scriptis suis inseruerunt fabellas, unà cum pluribus admixtis veritatibus, hauserunt.

Herodoti, si cujus unquam inter historicos fides in suspitionem revocatur. Manetho, scriptor Ægyptius, tanquàm fabulosum auctorem, atque antiquitatis Ægyptiæ imperitum illum accusat. Diodorus Siculus, Græcus aliqui scriptor, paria in viro reprehendit (Diod. l. 1.); neque nos illum absolvere possumus, vetustatem circumcisiōnis Ægyptiis, Æthiopiis, Colchidis, et Phœnicis populis tribuentem; eò maximè quòd illius auctoritate ceteris deinde historicis impositum est.

Ægyptii, ait idem auctor, oppositos planè ceteris ferè omnibus mores habent; circumcisiōnem admittunt, ritum omnibus ignotum, præter eos ad quos ex Ægypto superstitiò descendit (l. 2, 35, c. 56). Et alibi (ibidem cap. 104.) primos apud quos circumcisiò obtingeret, indicat Colchos, Ægyptios et Æthiopes; namque, ait quoad Phœnicæ et Syros Palestinæ incolentes, ex Ægypto in ipsos derivatum morem, ipsorum consensu intelligimus: in ceteros veros Syros ad Thermooontem, et Parthenium ipsis fatentibus ex Colchidè superstitiò propagata est. Verùm quod ad Ægyptios et Æthiopes spectat, utri eorum circumcisiōnis prius obtinentis palma deferenda sit, in medio relinquo: quanquàm ex commercio Ægyptiorum et Æthiopum, ab Ægyptiis in illos devenisse ritus facillè videtur. Hactenus Herodotus, cujus

testimonium modò in examen revocandum est.

Sibi planè non cohæret Herodotus, dùm asserit Ægyptios à ceteris populis circumcisiōnem discerni, ritum planè ceteris omnibus incognito, præter is in quos ex Ægypto devenit; cùm tamen alibi primum illius admisse honorem Colchis, Ægyptiis et Æthiopiis tribuat. Sibi etiam repugnat, cùm ambigere se proficitur, utris potius, Ægyptiis, an Æthiopiis circumcisiōnis inventio deputanda sit. Cùm enim optimè Æthiopes Asiaticos ab Africanis distinguat, ignorare profectò non potuit, Æthiopes Africanos ex Indià in Ægyptum venisse; qui proinde, utpote ex Æthiopiis Asiaticis (apud quos ignota circumcisiò) derivati, nunquàm fieri potuissent ut circumcisiōnem tanquàm avitam cæremoniam haberent. Quare nullus ambigendi locus erit, an ex Ægyptiis in Æthiopes circumcisiò irreperit.

Falsus est enim Herodotus dùm narrat Phœnicæ, et Syros, Palestinæ incolæ, à summat confessione, ex Ægyptiis recepisse circumcisiōnem, professos fuisse; nullam enim gentem in Syrià circumcisiōnem obligatam præter Phœnicæ et Judæos novimus; neutra verò recepisse se circumcisiōnem ex Ægypto fatetur. Judæi ex Abrahamo, quin potius ex ipsomet Deo; Phœnicæ ex prisco gentis rege illo, ut infra dicemus, reputant. S. Barnabas in Epistolà Syros omnes, Arabes et sacerdotes Ægyptios circumcisiōne initiari consuevisse perhibet S. Epiphanius hæres. 50, idem asserit de Ismaelitis, alio nomine Saracenis, Samaritanis, Idumæis, Homeritis; addit, et Moabitæ, atque Ammonitæ, S. Hieronymus in Jerem. 9. Tuetur S. Ambrosius annot. in Levit. ad Constantin. seu Epist. 72, num. 6. nov. edit. eo stigmatè inustus fuisse non Ægyptios sacerdotes tantùm, sed apud Æthiopes, Arabes, et Phœnicæ nonnullos. Comina legas in libro de Circumcisiōne inter opera S. Cypriani.

Illud ergo ex mente horum auctorum explorata antiquitatis et auctoritatis consequitur, morem illum per universum latè Orientem pervagatum fuisse. Nihil modò in Ismaelitis, Idumæis, Arabibus, Ammonitis et Moabitibus immorandum; potuerunt enim omnes ex Abrahamo circumcisiōnem recepisse. Idumæos circumcisiōnis ritum à Joanne Hircano victore recepisse prodit Josephus Antiq. lib. 13, cap. 17. Eadem facillè Moabitibus et Ammonitis accidisse potuerunt; nec invitus suspicio, Phœnicum nomine Samaritanos à scriptoribus illis designari, cùm S. Epiphanius Samaritanos recensens de Phœnicibus sileat. Nullo autem negotio originem circumcisiōnis apud Samaritanos deprehendimus, cum illi Moisaicæ legis cæremonias admittent. Solum ergo manent Ægyptii atque Æthiopes; sed cùm et posteriores isti suamet confessione decus inventæ circumcisiōnis à se abjudicantes, tenuisse illam ex Ægyptiis Hebræisve ultrò profiteantur, ad unos Ægyptios controversià cogitur.

igitur plurium scriptorum testimonio colligitur, nullà apud Ægyptios lege præceptam esse circum-

sione, ejusque morem in universà gente non obtinuisse. Causas quare circumcisiōnem admittent populi, plures enumerat Philo de Circumcis. pag. 810. Prima, ut eo reventio, peculiare morbi genus, carbunculium dicunt, quod circumcisiōne evitatur, præcaverent. Secunda, quòd, sordis causà sublata, corpus solum purumque servetur; cujus rei gratià pilos omnes corporis, metu ne quid impurum detineant, eradunt. Tertia, que symbolica est, à nostro argumento aliena, ultrò omittitur. Quarta tandem, ut fecunditas, multùm enim circumcisiōnem ad eam rem conducere arbitrantur, promoveatur.

S. Ambrosius Epist. 72 ad Constant. num. 5, in eà esse sententià videtur, Ægyptios persuasum habere, sordis nescio quid sacerdotibus illis inesse qui circumcisiōne non elucuerunt. Addit insuper: *Neque magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam judicant vim suam obtinere sine circumcisiōnis signaculo.* Vestingius Syntag. anatomic. 6, medicus celebratissimus, causà quòdam naturali Arabes et Ægyptios, quà mares, quà feminas ad circumcisiōnem propelli arbitratrur; mares enim, ait, præputium plus nimio exercens necessitate magis, quàm religione, quamvis et religione etiam aliquà, vel potius superstitione induti, amputant. Feminæ verò quid causæ habuerint, cur ad circumcisiōnem adigerentur, vide notam 1 infra. Certum est autem circumcisiōnis hujus admittendæ nullam fuisse apud eos populos legem, neque morem illum per totam provinciam obtinuisse. Ad arbitrium probant rejiciantque omnes, si unos excipias mares Malometicæ legis sectatores, quos legis ejusdem præscriptum duræ illi necessitati subdebatur.

S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1, refert Pythagoram, cùm in Ægyptum auscultandis gentis illius Prophetis venisset, circumcisiōni se subjecisse, quò et eorum mysteria initiari, et ad intima philosophiæ adyta admitti permitteretur. Origenes in Epist. ad Rom. 1, 2, et in Jer. hom. 5, exactum ducens catalogum eorum qui circumcisiōnem in Ægypto initiabantur recenset geometras, astronomos, astrologos judicarios, genethliacos, sacrificulos, extorum inspectores, prophetas quos vocant hieroglyphicis studentes, divinos, mysteria revelantes, et qui mysteria initiari volunt. Observat Josephus cont. Apion. l. 2, sacerdotes Ægyptios omnes circumcisiōnem admittere, atque à nullà abstinere. Paria de circumcisiōne sacerdotum apud S. Epiphanium hæres. 50 legas. Quæ omnia aptè demonstrant circumcisiōnem ritum fuisse solis sacerdotibus peculiarem.

Eia verò quò potissimùm tempore mos ille ad Ægyptios translatus est, inquiramus. Moysè auctore cæremoniam habuisse Ægyptios, et Æthiopes sacerdotes, Artapanus apud Eusebium (Præp. l. 9, c. 28) testatur. In eandem sententià descendisse Origenes visus est (cont. Cels. l. 5, pag. 163, edit. Cantabrig.), tradens cogendarum ad circumcisiōnem gentium in causà fuisse gliscentem apud illas metum de Angelo quodam Judaorum adversario, qui parere circum-

sione signatis coactus, incircumcisos dire animadversioni subijcere ferebatur. Quæ in illos persuasio utique ex historià, in Exodo relatà, de Angelo, Moysi in Ægyptum reduci obviam factò, atque in necem Eliezer filii ipsius irruente, derivata est. Tunc enim Sephora, pueri mater, filio statim circumcisiōne initiato, imminens periculum è capite illius avertit. Manent alii Ægyptiorum circumcisiōnem ex Israelitis in Ægyptum cum Jacob descendentibus repetere. Quanquàm enim ambo illi populi, Ægyptii et Judæi, primò se alter ab altero observassent, ne cibos quidem simul capere, neque ambulare simul, sedesque communes habere, sustinentes: successu tamen temporis de veteri utrinque jure recessum est, ut cùm ex Ægypto Israelitis remeandum fuit, non deessent ex populo, qui connubia cum Ægyptiis puellis inivisse deprehenderent, ne quid dicam de translatis Hebræorum in Ægyptiorum urbes sedibus, eorumque moribus adoptatis. Quid quòd avità religione deserta, atque pastorià professione adlicatà, plures ex Hebræis ad Ægyptiorum sacra atque consuetudinem transierunt? Inter hæc tamen, ut avitam peculiaremque circumcisiōnis Religionem abijcerent Judæi, nunquàm commissum est. Hujus ergo ritus adèo fuisse tenaces videtur, ut ne jungi quidem cum Ægyptiis facis se sustinerent, nisi eà tantum conditione, ut unicam hanc cæremoniam, quam Hebræi usque adèo observaverunt, probarent, atque reciperent.

Quanquàm hæc plausibilia videntur, non minis tamen aliis plausibilibus conjecturis oppugnari possunt. Si Ægyptii circumcisiōnem admiserant, ut eà conditione Israelitis in suas urbes atque societatem abducerent; et Israelitæ vicissim et avitum solent, et professionem simul cum religione abijcerant; quid tandem prohibuit, ne spatio 205 annorum, quò simul cohabitarent, in unam eandemque gentem coalescerent? Aliter tamen res habuit sese: pauci ex Israelitis cum Ægyptiis connubia miscuerunt, atque dux ille gentes suo singule jure censebantur; quin et pro veteri inter ipsas simulate factum credimus, ut rex Ægypti de Israelitis exterminandis cogitaret. Circumcisiōnis indicio agnitus à filià regis Ægypti Moses creditur; visum enim in ripa Nili filium, eo signo initiatum, statim non Ægyptium, sed ex Hebræis gentis referre judicavit.

Cùm Moyses leges præscribit, quibus jus civitatis, et gentis Judaicæ exteris gentibus permitti poterat, circumcisiōne primo loco recensetur; quæ quidem pro omnibus gentibus lex ne Ægyptios gentem excipiebat, ut liquido intelligamus circumcisiōnis cæremoniam nondum apud illos obtinuisse. Singulare tantùm populis illis concessum est privilegium, in gratiam concessæ olim Israelitis in suà regione sedis, ut in tertià demum generatione eorum filii in cœtus Domini introducerentur (Deut. 23, 7); utique tamen admittà prius ab illis circumcisiōnem ceterarumque legum observantia, ut commentatores observant.

Egressi ex Ægypto Israelitæ, atque per deserta Arabiæ iter facientes, ab omni externarum gentium

consortio segregati (Theodoret. q. 5 in Jesu Nave), cum in unam veluti civitatem coalescent, circumcisiōis ceremoniam intermiserunt: cum enim eo signo seligere sibi populum suum à ceteris segregati in deserto non erat utile, cur à ceteris segregati in deserto obsignarentur. Vix tamen in Chanaanitidem, atque inter medios Chananæos ventum est, iterum divino præcepto pueri, in deserto nati, circumcisiōis subiiciuntur. Divinis hæc jussibus à Josue executioni mandatis, Deus statim ad illum: *Hodie, ait, abstuli opprobrium Ægypti à vobis* (Josue 5, 9); ac si diceret: Quidquid vobis erat cum Ægyptiis commune, probrosum planè et detestabile, id modò penitus abstuli. Filii Jacob detineri se, ne cum Sichimitis connubia jungerent, significaverunt, illud obtendentes: *Non possumus dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum et nefarium est apud nos* (Gen. 35, 14); id est, hominem incircumcisum nos probro ducimus et horrore. Chananæus igitur et Ægyptius æquè opprobrio erant Hebræis; quippe qui neutri circumcisiōnem receperunt.

Laudatè à Josue testimonium Marshamus in suæ sententiæ patrocinium convertens, ex eo probare conatur, Moysis ætate circumcisiōnem apud Ægyptios obtinuisse; quare Deus illud usurpans: *Abstuli opprobrium Ægypti à vobis*, tantumdem effatus est, ait idem scriptor (Canon. Ægypt. seculi 5), ac si dixisset: *Abstuli quod vobis æquè ac Ægyptiis horrore est, et opprobrio, quasi scilicet apud Ægyptios lex illa latè et indiscriminatim obtineret adè ut incircumcisum hominem horrore ducerent, atque ad eam ceremoniam admittendam latè legibus cogentur*. Opprobrium igitur Ægypti, non est cur de insito in eà gente horrore erga homines incircumcisos, quemadmodum Israelitis insitum est, interpretemur. Post hæc omnia, Moysis, et Josue ætate incircumcisiōnis mansisse Ægyptios, jure à nobis asserendum arbitramur. Modò succedentia illis tempora examinemus.

Opinio est apud eruditos receptissima, sub Salomone primùm Ægyptios et Æthiopes circumcisiōnis ritum admisisse. Ejus rei conjecturas ex commercio atque arctissima consuetudine utriusque gentis per ea tempora cum Hebræis ducunt; verum si Hebræis in Ægypto commorantibus, adhuc tamen nulla facta est utriusque gentis in circumcisiōne communiō; quinam fieri poterat, ut merum inter utramque gentem commercium sub Salomone eam haberet vim, quam contubernio, tot annorum spatio continuato, denegamus? Quoad Æthiopes, in quos devenisse autnant circumcisiōnem, reginæ eorum quæ Salomonem Jerosolymam convenerat, ministerio: operæ pretium est animadvertere, eam feminam non in Æthiopia, de qua loquimur, regnasse, sed in Sabæ, Arabia regione; quare iter illius ad Salomonem, atque ea, quam de rege conceperat, opinio, concilianda apud Æthiopes circumcisiōnis nihil conferre poterat.

Bochartus et eruditores nonnulli non ex Judæis intractam in Ægyptios circumcisiōnem, sed ex vicinâ Arabia derivatam maluerunt. Inanis est autem in-

ter Ægyptiorum et Judæorum circumcisiōnem discrepantia, ac vicissim inter Ægyptiorum et Arabum plurima consonant. 1^o Amittenda circumcisiōnis Judæis recensentur adjecturæ præcepto, eamque veluti peculiare signum et characterem populi Dei, cujus conditione divina in se promissa implerentur, respiciunt; Ægypti verò ultroneè in illam religionem ita feruntur, ut non à populo universo, sed à certis tantum sacerdotibus illam exegerint. 2^o Apud Judæos solos mares circumcisiōne, octavâ semper à nativitate die, initiare mos est; apud Ægyptios viri æquè ac femine absconduntur (Strab. l. 17); idque tantum inveniunt 14 ætatis anno, juxta S. Ambrosium (1). Neque omnes Ægypti feminas indiscriminatim circumcisiōnis genus hoc admisisse satis apud itinerantes convenit. In nonnullis tantum Arabiæ et Persidis regionibus, veluti ad Sinum Persicum, et mare Rubrum, ea lex obtinet; ubique enim per eas provincias mos æquè pro maribus et feminis servatur, eo tamen discrimine, quò abscondendis maribus, quintus, sextus, vel nonus, vel tertius decimus ætatis annus præscriptus sit, cum interim feminæ nonnisi post exactam juventutem circumciantur; nequaquam enim antea caro circumcisiōne abscondenda in feminis excrescit. Vide Chardin, l. 1^{er} Persic. tom. 5, pag. 207.

3^o Judæi in portem initi cum Abrahamo foderis per circumcisiōnem recipiantur, cum Ægypti nihil quàm honestate, et fortè peculiari regionis suæ incommodo corporis evitando, maxime in feminis (2) ad eam rem impellantur. Jure proinde meritoque Origines nihil esse inter Ægyptiorum et Hebræorum circumcisiōnem commune sustinuit. Quamquam, ut vera fatear, tanta ista non sunt, ut ex uno eodemque fonte utrumque morem profluxisse negemus. Esto enim ex Arabia in Ægyptum derivata sit, semper tamen ad Abrahamum patrem Isaac et Ismaelis referetur, idemque semper ineluctabile contra vetustatem circumcisiōnis apud Ægyptios argumentum obtinebit.

(1) De Abraham. lib. 2, cap. 11: *Ægypti quarto decimo anno circumciantur mares et feminas eodem anno circumcidi ferunt, quòd ab eo videlicet anno incipit flagrare passio virilis, et feminarum mensura suavitè vitia.*

(2) Huet. not. ad Orig. par. 5: *Circumcisio facinorosa sit resectione des nymphæ, que per eam Australium præsertim mulieribus ita excrescit, ut ferro coercenda sit. Ita tradunt medici insignes Paulus Ægineta l. 6, cap. 70. Ælius Tetrab. 4, ser. 4, c. 105, quorum hic ita pergit: Quapropter Ægyptiis visum est, ut antequàm exuberet (pars illa corporis) amputetur, præcipuè cum virgines nupte sunt elocandæ. Quod igitur necessitate primùm inductum est, religioni postmodum usurpatum fuit; quod et aliqui de virili circumcisiōne opinati sunt. Porro hæc consuetudinem circumcianturum mulierum hodièque retinere Ægyptios ferunt, qui regiones illas lustraverunt, ignemque ad compescendam partem hujus luxuriam adhiberi scribit Belland. l. 5 Observ. c. 28; et morem hunc servare feminas in Persiâ, et Goptas etiam in Æthiopia Christi licet nomen professas. Leo Africanus l. 8, narrat Machometi lege id præscribi, quantum in Ægypto tantum et Syriâ obtineat, manusque id obire vetulas quasdam, per vicus Cairi ministerium suum vendi-
(tautes.)*

Ætate Prophetarum Ezechielis et Jeremia, Ægypti, non secus ac Babyloii, et Tyri, inter gentes incircumcisas recensentur. Hinc Ezechiel Dei nomine ita Assyriorum regem affatur (Ezech. 31, 18): *Ecce deductus es ad terram ultimam; in medio incircumcisorum dormies cum eis, qui interfecti sunt gladio; ipse est Pharaon, et omnis multitudo ejus. Idem Propheta Pharaonem alloquitur in hæc verba, juxta litteram Hebraicam (id. c. 32, 19, 21, etc.): Visito super omnem incircumcisum cum præputio; super Ægyptum et super Juda. Quia omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Israel incircumcisus sum corde. Negare tamen non ausim, receptam tunc temporis apud Ægyptios quosdam circumcisiōnem; cum mos sacerdotum eo ritu initiandi vetustissimus apud illos habeatur; quamquam illud non minus constat, Ægyptias gentes inter incircumcisas tunc censi consuevisse.*

Ut sententiæ de inveetà primùm ab Ægyptiis circumcisiōne nervos prosus omnes succidamus, ad hæc animam advertisse oportet. 1^o Populum universum nullâ inductum ratione spontè se duræ circumcisiōnis legi subiecisse, vix possumus persuaderi. Illiciter ceremoniam, nihil habentem prerogativæ singularis, nisi duram corporis cruciatum, simulque novam, vix ex toto gente unum in animum induxisset; quid gens universa? Facillè quidem nobis persuademus, primùm, qui circumcisiōnem invexit, validioribus abductum rationibus eam tandem admisisse; validioribus, inquam, quàm de Ægyptiis excogitaverint contrariæ sententiæ patroni; nempe affectatâ quâdam honestate, vel ineptiori aliquâ superstitione, cyneocephalum nempe imitandi, divinum animal, quod, inquit, circumcisum ex utero matris prodit. Deliramenta quidem hæc sunt vana cogitantium, ne refutanda quidem. Nec meliora tamen afferunt Ægypti, quibus inductos se ad circumcisiōnem persuadeant, quare primam illis bujus ritus inventionem abjudicandam arbitramur.

2^o Observare oportet, ritum illum, si per universam latè nationem semper obtinisset, ejusque maxima habita fuisset ratio, tanquam peculiaris ejus gentis atque religionis ceremoniæ, apud omnes etiam gentes ex Ægypto deductas, atque Ægyptiacis sacris initiatas, deprehendendum fuisse. Cur igitur apud Chananæos, Phœnices, et Phillistæos, variasque Africanas gentes, genus ex Ægypto referentes, non obtinet? Obtinet quidem apud Phœnices, sed à Saturno recepta, ut infra dicemus. Præterea Ægyptiacas superstitiones per Syriam, Africam, Cyprum et Græciam latè divulgatas, quamquam nihil simile de circumcisiōne ferunt. Quæ ad Colchos spectant, eandem, uti ferunt, gentem, ac Cassium posteros Mizraim sive Ægyptiorum, infra examinabimus.

Est igitur cur asseramus, circumcisiōnis ritum ab Ægyptiis auctoribus non crepisse; seriùsque apud illos obtinuisse, quàm ut Abraham ab eà gente ceremoniam addicere posset. Restat ut Phœnicum conjecturas in medium afferamus, quibus inventæ circumcisiōnis sibi honorem adsciscunt.

Sanchoniato apud Eusebium (Præp. l. 1) tradit Saturno, quem Phœnices Israelæm nominant, unicum tantum ex Anobret nymphâ filium Jead fuisse, quò in viciniam Cælo patri suo oblato, ipsum se circumcisiōne initiâsse, summe exemplum milites sequi voluisse. Mos inde apud Phœnices inolevit, in difficillimis regi eventibus regiorum filiorum victimas immolare; quemadmodum et circumcisiōnis ritus per totam latè nationem inde facillè obtinuit. Cum tamen inter subleste fidei auctores Sanchoniato potissimum sibi vindicet locum, ejusdem auctoritati refutanda operam non perdimus.

Mos igitur receptæ apud Phœnices circumcisiōnis, Abrahamo, atque Israelitis auctoribus deputandus est; quamquam non cum fuisse ritum credo, ut latè apud omnes populos obtineret. Neque enim sive lege ad eum cogisse Phœnices credebant, neque Josue, quin neque regum Juda et Israelis ætate (quantum conjicio) adhuc jugum illud subierant. Regi Tyri imitatus Ezechiel (Ezech. 28, 10, etc.), ait: *Morte incircumcisorum morieris*; simili nempe cum ceteris incircumcisis morte, quibus spes omnis melioris post obitum vite præcisæ est (vide Ezech. 32, 19, 21, 22, etc.). Ab eà tandem ceremoniâ desuevisse Phœnices ex institutâ cum Græcis consuetudine, Herodotus observat (Herod. l. 2); quam proinde, neque in deductis ab eà gente colonis ad Mediterraneam litora, nusquam receptam videmus. Josephus etiam lucentes asserit, ætate suâ Judæos, unicos ex universâ Syriâ populos, circumcisiōnem servasse; ex quibus intelligimus, adscitium externumque morem in Phœnicum solo tanquam alieno, citius exaruisse.

De Colchorum origine fusiùs alibi disserentes, ea, que apud Herodotum de Ægyptiâ ejus gentis origine asseruntur, debite esse fidei ostendimus; neque firmiora sunt, que scriptor de circumcisiōne apud illos receptâ narrat: sive enim genuinum autemque esse gentis morem, sive ex Ægypto receptum contidit, æquè semper suspectus est. Quare aliam querere fontem tum Colchorum, tum Syrorum, superiora Thermodontis et Paethenii incolentium, circumcisiōnis oportet. Quâ in re, obscurâ quidem et implexâ, si conjecturas proposuisse permititur, suscipari possumus, ex Israelitis in eas regiones exulantibus, morem increbuisse. Nisi malueris ipsos, qui circumcisiōnem admittabant, Israelitas per Salmasaram, sive Terglathalasarum in eas regiones fuisse translatos. Cùm autem Israelite illi veterem circumcisiōnis morem retinissent, atque à vicinis Ægypti descendissent, fuscum colorem, crispantem comam, externam à Colchidis linguam, et cultum bovis aurei, Ægyptiacæ Apidis religioni simillimum, referent, facillè è mediâ Ægypto venisse crediti sunt. Is error Græcis auctoribus scriptis irrepsit, ut Hebræos, ex diuturnâ cum Ægyptiis morâ, ab Ægypto originem retulisse crederent.

His de vetustate circumcisiōnis apud veteres paganas gentes deductis, modò aliqua supersunt de circumcisiōne Hebræorum, ex Scripturâ decerpenda. De origine, usu et praxi hujus ritus explorata omnia; quæ

enim invecitè historia disertè apud Moysen legitur, cuius posteritas constanti semper usque hodie successione circumcisonem servavit. Postquam Deus, ait Moyses, de fide, atque obsequio Abrahami non semel periculum fecisset, fœdus tandem cum illo, ejusque posteritate se in futurum significavit, innovatisque promissionibus, atque benedictionibus suis, ita illum affatus est (Gen. 17, 10, 11): *Hoc est pactum meum, quod observabit inter me, et semen tuum post te; circumcideretur ex vobis omne masculinum, ut (circumcisio) sit in signum fœderis inter me, et vos.* Patrum, interpretum, quin et ipsius Scripturæ consensu illud potissimum consilium insituendæ circumcisonis Deum habuisse constat, ut eo veluti signo Abrahami posteritatem à cæteris gentibus discernerentur. Quòd autem in eam rem incertum, commune nempe vicinis gentibus, quibuscumque Hebræi diutius egerant, signum elegerit Deum, vix est quòd credamus. Nonne enim eo accepto signo, populus electus atque profanus, genus Abrahami cum gente Pharaonis, confundentur miscerenturque? Nonne contrariam planè scopo viam invivise Deus? Fateamur igitur oportet, in eà, quam Moyses de invecitè circumcisonem retexit, historiam, liquidò sanè indicasse novum esse ritum et ad id usque cæteris in-

DE VERIS FICTISQUE PRODIGIIS,

AC DÆMONUM ET ANGELORUM IN CORPORA POTESTATE,

Dissertatio.

Nihil in vulgari sermone frequentius quàm de prodigiis, atque bonorum malorumque spirituum per corpus operationibus; nihil est etiam, cuius minus clarè, atque factè omninò ideæ, quam de his omnibus rebus suppetant. Viri quidem acri, ut ipsi quidem censent, ingenio, ac minimè tepido, omnia quæ de Angelorum potestate, et apparitionibus feruntur, sicut et de prestigis, quibus sensus hominum fallunt, dæmonium in corpora infestationibus, subitisque tandem per illos aeris, ceterarumque rerum immutationibus; ea, inquam, omnia tanquam vana mulierularum terribilissima repantantes, qui credulam hisce rebus mentem addixerint, eos pietate et miseratione prosequuntur. Alii contrariis planè studiis exorbitantes, omnes dæmonum, magorum, veneficorum fabellas probant. Nihil illis in prodigiis, historiis de apparitionibus spirituum, atque dæmonum corpora obsidentium suspectum. Alii tandem, pravà sanè et noxià spiritus habitudine, quæ de prodigiis, Angelis, spiritibus, etc., feruntur, omnia eo argumento rejiciunt, quòd scilicet lura vulgata sint prodigia vel facta omninò, vel naturalibus quibusdam insuetisque causis, sed latentibus, tribuentia.

Hanc itaque questionem occasione eorum quæ de prodigiis magorum Pharaonis, de spiritu Samuelis Sauli exhibitio leguntur, nos examinandam assumimus.

cognitum. Hinc rectè Origenes (1) Abrahamum primum esse mortaliem, qui circumcisonem admitteret, tanquam ex Moysè relatum, assertit; nec sanè prior est alius Mosaicæ relationis sensus.

Post hæc omnia, primò invecitè circumcisonis gloriam Abrahamo adhuc invidebimus? Abrahamo, inquam, quò omnium vetustissimus, atque certissimus liber Moysi suffragatur? Abrahamo, qui id sibi decus tranquillà 5600 annorum possessione præscripsit?

Juris ejusdem cætera sunt argumenta, sive Deum circumcisonem præcipientem, sive Abrahamum divinis jussionibus obsequentem spectemus. Ejusdem moris apud Hebræos origo, et successio æquè explorata sunt. Nihil est, quò persuaderi Abrahamus poterit, ut in eà re Ægyptios et Phœnices, si fortè apud illos obtinisset, imitaretur; semper enim ab eorum ritu, et cultu abhorruit; fœdus cum illis nunquam, nisi necessitate cogente, inivit. Ut quid igitur circumcisonem illorum admisisset; præsertim neque apud illos indispensabili lege, nec nisi pudoris cuiusdam gratià, obtinentem? (CALMET.)

(1) Contra Cels. l. 1. malentem Ægyptiis, quam Moysi credere, qui refert, primum mortaliem circumcisonem Abrahamum.

Que ut ordine procedant, dicendum priùs à nobis de naturà, potestate atque caractere prodigiorum; dein de Angelorum bonorum malorumque ad prodigia patrandi facultate.

Verum prodigium, juxta insitam nobis ideam, res est regulas naturæ consueta transcendens. Vir super aquas gradiens, in aera suspensus, ignotas linguas subito callens, virgæ in anguem subito transformate verum prodigium referunt. Fictum autem prodigium illud concipimus, quod naturæ leges in speciem tantummodo superat; uti coma subito conceptio igne deflagrans, quòd pingui aliquo humore fortè delibuta esset (uti de comâ Iuli aliorumque ferunt), ignem illum intactos relinquere crines, etc.; nullo hæc prodigio fieri potuisse constat; cum in lineo panno vini spiritu imbuto, quotidie observemus ignem, absumpto liquore. Plura sanè hisce similia occurrunt, quibus latentis et occulta causa prodigii apud nos famam conciliat.

Scitè etiam observat S. Augustinus ea quæ nobis prodigia jure meritoque creduntur, naturalia similia esse et supra naturam; naturalia quidem, cum eandem Dei voluntatem, in quâ tota naturæ ratio, habeant auctorem; supra naturam verò, quòd à consuetis naturæ legibus exorbitent. Addit insuper: *Nec (De Gen. ad litt. lib. 6, cap. 15) enim ista cum sunt, contra naturam sunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cur-*

fixa et constantia sunt, ut ab uno tamen summè libero, cui inexploratum nihil, dirigantur; ab uno illo corpore omnia pendet, et motus, et cum maxime à consuetis atque prescriptis sibi in eorum gubernatione legibus recedit, tunc potissimum libera illa suæ voluntatis decreta fixa ab æterno et rata exequitur. Maneat ergo, prodigia Dei providentis alio consilio disposita, ipsamque rerum œconomiam fovere potius, quàm pervertere.

Angustam prorsus Spinoza divinæ voluntatis ideam sibi prescriptis, dum constantie illius ita consuluit, ut libertatem negarit. Ludit profectò de nomine *Legis naturæ*, quasi scilicet aliud quàm Dei voluntatem designaret, vel prodigia naturæ leges destruerent; cum tamen Dei voluntatem ipsissimam esse rerum naturam, jam ostenderimus. Prodigia verò libera quidem Dei voluntatis sunt opus; non voluntatis quidem, generales atque consueta naturæ leges dirigentes, sed peculiaris, quæ sibi pro sua libertate agenda quædam insuetæ reservat. Hæc vera prodigii notia.

Ex his planè colligi posse arbitror, prodigiorum facultatem soli Deo reservari, ut in ejus privilegii communionem neque angeli, neque dæmones, neque animæ à corpore secreta, venire unquam possint. Quoniam eorum precibus aliquando, sicut et eorum ministerio atque instrumento factum est, ut Deus prodigia patravertit; sicuti de Angelis, et Prophetis in V. T., de Apostolis in Novo legitimus.

Verùm de malis spiritibus non ita facilè intelligimus, qui tantum valuerint, ut prodigia patrant; neque enim sive vi sua illi operari, sive à Deo precibus impetrare poterunt. Quare Deum illis ultionis suæ administris usum in prodigiis exhibendis credimus; nisi fortè nullum à dæmonibus verum prodigium factum unquam, sed omnia ad prestigia et ad occultam aliquam, sed naturalem causam deputare maluerimus. De hoc igitur in præsentiarum agendum.

Magi Pharaonis, narrante Scripturâ, virgas in angues, aquas in sanguinem, Mosaicæ prodigia æmulaturi, transmutarunt (Exod. 8, etc.). Ab his magorum prodigiis ita Moses cavendum monet, ut simul à dæmone patrari illa non ambigè suadeat (Deut. 18, 1). *Si surrexerit in medio tui Prophetæ, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum; et venerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus et sequamur Deos alienos, non audies verba Prophetæ illius, aut somniiatoris, quia tentavit vos Dominus vester. Dæmonis Beelzebub potestate in pellendis malis spiritibus usum Jesum Christum exprobrantibus Pharisæis, objectam callumiam ipse Christus diluens, hac quidem in prodigiis patrandis potestatem dæmonis non negat; sed vix fieri potuisse dicit, ut Satan Christo adversario suo obsequens, secum ipse pugnarct (Math. 9, 34, et 12, 24). Alii etiam cavendum nos monet à prodigiis pseudoprophetarum (Math. 24, 24). Antichristi signa et portentosa omnia Apostolus persequitur (2 Thessal. 2, 9); docet insuper Satan in angelum lucis aliquando se transformare. Plures tandem ex Patribus magos Pharaonis virgas suas in*